

GRAECI TAMEN etc. Hic magister ostendit discordiam Graecorum a doctrina Latinorum, et dividitur in duas, quia primo ostendit in quo Graeci praecise dissentiunt a Latinis; secundo manifestat in quo doctores Graecorum conveniunt cum Latinis. Secunda ibi, sciendum est tamen. Prima in duas quia primo ponit Graecorum contra latinos argumentationes; secundo respondet ad eorum rationes ibi, nos autem illa verba. Tunc sequitur illa pars, sciendum est tamen, et dividitur in duas, quia primo ostendit in quo omnes Graeci conveniunt cum Latinis, secundo in quo catholici Graecorum concordant cum Latinis, unde etiam quidam eorum. Circa istam litteram quaero.

Quaestio II.

An Spiritus Sanctus distingueretur a Filio si non procederet ab eo?

Rationabiliter determinatur in hoc quidem quaesito, Spiritum Sanctum a Filio realiter non secerni, nisi ab eo procederet; tum quia non haberet oppositam relationem, quae innascitur ex aliqua originalis emanatione, per quam omnis in divinis habet esse distinctio realis, tum quia per relationes disperatas directe non habetur distinctio realis.

UTRUM SPIRITUS SANCTUS distingueretur a Filio si non procederet ab eo? Et videtur quod sic, quia per illud res personaliter distinguitur, per quod in esse personali constituitur, sed filiatione persona filii constituitur, ergo dato quod Filius quantum ad productionem Spiritus Sancti non haberet spirationem activam oppositam spirationi passivae, adhuc per solam filiationem differret a Spiritu Sancto. Maior patet, quia per idem res habet esse et distinctum esse. Etiam minor est nota, quia generatio passiva, ut omnes dicunt, est personalis filii proprietas. CONTRA, omnia in divinis sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio, ut dicit Anselmus in De processione Spiritus Sancti. Sed si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tunc inter Filium et Spiritum Sanctum nulla esset relationis oppositio, ergo etc. Hic primo est videndum, utrum haec quaestio sit rationabilis. Secundo dato quod sic, tenebo de hac quaestione partem negativam et probabo eam rationibus aliquorum reverendorum doctorum. Tertio, adducam aliquas instantias contra huiusmodi rationes et tollam eas. Quarto, ponam motiva oppositae opinionis et respondebo ad ea. PRIMUM ISTIUS ordinationis articulum praemitto propter aliquos doctores, qui dicunt quod illud, quod hic pro quaestione proponitur, non est quaestio, quia quaestio est dubitabilis propositio, sed illud non est dubitabile, nec inquisitione dignum, ad quod necesse est impossibilia sequi; illud autem est huiusmodi, quia hic unum impossibile praesupponitur, ad quod multa alia impossibilia et contradictoria sequerentur. Sed istud non valet, quia suppositio quamviscumque impossibilis, relinquens tamen formalem rationem subiecti, sic se habet, quod quaestio formari potest circa ipsam; sed ista suppositio est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia supposito quod homo non sit risibilis, manens tamen rationalis, adhuc multae quaestiones possent fieri de homine, puta utrum sit animal? Et utrum adhuc differat ab equo? Et sic de aliis. Minor etiam patet, quia supposito quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, hoc non videtur tollere rationem Spiritus Sancti, cum Spiritus Sanctus perfecte procedat a patre, dato quod pater habeat vim spirativam. 2. Praeterea, illa quaestio est rationabiliter disputabilis et dubitabilis, quae formatur de propositione hypothetica cuius Cathégorica est dubitabilis materiae, si est Cathégorica aequipollens huiusmodi hypotheticae; sed praedicta propositio in quaestione posita est huiusmodi, ergo etc. Maior patet, quia ista propositio est disputabilis, utrum asinus posset volare? Si habere pennas? Quia ista Cathégorica est dubitabilis, utrum omne habens pennas, vel alas possit volare? Propter aliqua, quae videmus, esse pennata et tamen raro vel nunquam ipsa volare videmus, ut patet de Strucone et multis aliis. Minorem probō. Nam illa Cathégorica est dubitabilis, utrum filius distingatur a Spiritu Sancto generatione passiva, vel sola spiratione activa? Et ex hoc supradicta hypothetica redditur

dubitabilis, quia si distinguitur filius a Spiritu Sancto generatione passiva, tunc dato quod Spiritus Sanctus non procederet a filio, adhuc distingueretur ab eo. Si autem filius distinguitur a Spiritu Sancto per solam spirationem activam, tunc si non procederet ab eo non distingueretur ab eo. 3. Praeterea, ex similibus similia iudicamus, sed sancti patres saepius consimiles propositiones supradictae propositioni formaverunt, et de ipsis multo sermone disputaverunt, sicut patet per Augustinum qui 15. De Trinitate ponit hanc propositionem, si Spiritus Sanctus diceretur filius, amborum utique filius diceretur. 4. Item Anselmus De Processione Spiritus Sancti ait: Nihil diffinitur contrarium naturae si plenitudo sapientiae dicitur posse subsistere in singularitate personae, nam quantum videtur si sola una persona in deitate esset, nihilominus plenitudinem sapientiae habere potuisset. Cum igitur in quolibet antecedente illarum propositionum implicetur simpliciter impossibile, quia eius oppositum est summe necessarium, miror quare isti doctores tantam difficultatem faciunt de titulo illius quaestionis.

[158]

QUANTUM AD SECUNDUM principale dico quod, si Spiritus Sanctus non procederet a filio, ipse non differret ab eo, quia, cum relatio secundum esse transeat in divinam essentiam, omnis distinctio, quae per relationes sit in divinis, oportet quod fiat secundum quidditatem relationis, sed quidditas relationis solum sumitur in ordine ad oppositum, ergo relatio in divinis solummodo distinguit ab opposito. Sed si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tunc nullam oppositionem haberet ad ipsum, ergo etc. 2. Praeterea, generatio activa et spiratio activa in patre dicunt eandem rem, quia alias essent quattuor res in divinis, ergo similiter generatio passiva et spiratio passiva in quantum de se est, dicunt eandem rem, ergo non haberet Spiritus Sanctus per quid differret a filio, si non procederet ab eo. 3. Praeterea, sicut spiratio activa praesupponit generationem activam, sic spiratio passiva praesupponit generationem passivam. Aut ergo praesupponit eam in eadem persona, aut in alia persona, et per consequens per modum originis. Non primo modo, quia tunc haberetur intentum, nam tunc non differrent Spiritus Sanctus et Filius, quia essent una persona, ergo praesupponit eam per modum originis. 4. Praeterea, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, tunc idem esset generare et spirare. Consequens est falsum. Probatur consequentia, quia si Spiritus Sanctus non praesupponeret verbum et ab ipso non procederet, tunc procederet per modum naturae. 5. Praeterea, si Spiritus Sanctus non procedens a Filio, differret ab eo, aut talis differentia esset ratione intellectus et voluntatis, puta quia filius procederet per modum intellectus sive naturae, et Spiritus Sanctus per modum voluntatis aut per relationes desperatas. Non primo modo, quia, cum natura et voluntas in divinis differant sola ratione, filius et Spiritus Sanctus non possent differre realiter, nisi per aliqua alia distinguantur. Nec secundo modo, quia si per relationes desperatas posset fieri personalis distinctio, tunc pater distingueretur personaliter a seipso, cum vere habeat in se duas relationes desperatas, scilicet paternitatem et spirationem activam. 6. Praeterea, quaecunque per relationes realiter a se invicem distinguuntur, illa realiter ad se invicem referuntur, quia essentialius est ipsi relationi secundum eam referri, quam per eam distingui, quia distinguere est commune sibi et absolutis, referre autem proprie convenit sibi, ergo, si filius filiatione distingueretur a Spiritu Sancto, tunc filiatione referretur ad Spiritum Sanctum et sic Spiritus Sanctus esset pater. Oportet ergo quod secundum spirationem activam ad ipsum referatur et per consequens producet Spiritum Sanctum. 7. Praeterea, distinctio non convenit relationibus desperatis, nisi ex suis fundamentis. Similitudo enim et aequalitas ex hoc differunt realiter, quia qualitas et quantitas, in quibus fundantur, realiter differunt, ubi ergo idem fundamentum aequae perfecte est in productis, sicut in producentibus, si producentia non differunt rationibus desperatis, nec producta ab ipsis differre possunt. Sed pater et filius non differunt in divinis relationibus desperatis, ergo nec filius et Spiritus Sanctus.

AD PRIMAS quattuor rationes respondet Alexander ordinis Sancti Augustini 3. suo Quolibet quaestione 3. Ad primam dicit quod sicut relatio habet propriam quidditatem, sic habet proprium esse, alias esset dare aliquam quidditatem sine proprio individuo, quod est inconueniens. Et addit quod quidditas relationis non est, nisi esse relationis in ordine ad terminum, et ideo si manet secundum quidditatem, etiam manet secundum esse. Unde ad quicquid comparatur relatio, semper manet secundum suam propriam realitatem, quae specificatur per aliud. Et tunc concludit dicens quod cum ita sit quod relatio non solum in comparatione ad oppositum, sed etiam ad quicquid comparetur, semper tenet suam realitatem, ideo non solum relatio opposita distinguit, sed etiam desperata. SED ILLE multa dubia et forte minus vera assumit, quibus tamen omnibus dimissis, dico quod ultimum suum conclusum est simpliciter falsum, scilicet quod relatio, ad quodcunque comparetur, semper retineat propriam realitatem, quia relatio nec quidditatem, nec realitatem retinet in comparatione ad quodcunque; sed realitatem habet in ordine ad fundamentum, quidditatem vero in ordine ad terminum sibi relative oppositum et illud declarabitur distinctione 27. 2. Praeterea, id, quod semper tenet realitatem suam uniformiter, ad quodcunque comparetur, hoc est simpliciter absolutum; relatio secundum te est huiusmodi, ergo esset simpliciter absoluta, quod est contradictionis implicatio, qui esset ad se et non esset ad se, et esset ad aliud et non esset ad aliud. 3. Praeterea, dictum illius videtur esse expresse contra philosophum in Praedicamentis, ubi ait: Ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum, quod sunt est, ad aliud se habere et ut expresse patet ibidem. Per ly ‘aliud’ non notavit Aristoteles rem quamcunque, sed solum terminum oppositum, respectu cuius relatio fortitur suam quidditatem, a cuius comparatione dum decedit, non potest servare propriam quidditatem, nec per consequens virtutem distinctivam. 4. Praeterea, quodcunque res recedit ab aliquo respectu, cuius proprie diffinitur, tunc perdit propriam quidditatem, nec per consequens retinet propriam realitatem, et hoc secundum te, quia tu pro eodem sumis quidditatem relationis et realitatem, quamvis non deberes sic sumere, quia relatio secundum rationem habet veram quidditatem relativam, non tamen veram realitatem, relatio vero secundum dici habet veram realitatem, non tamen veram quidditatem relativam, sed non obstante quod relatio comparetur ad quodcunque aliud praeter ad terminum, semper recedit ab eo, respectu cuius proprie diffinitur, ergo non poterit in huiusmodi comparationibus retinere propriam quidditatem. 5. Praeterea, tu ipse dicis quidditas relationis non est, nisi esse relationis in ordine ad terminum.

AD SECUNDUM dicunt quod, si hoc nomen ‘res’ accipitur absolute, tunc in divinis tantum est una res. Si vero accipitur relative, tunc tot sunt ibi res, quot sunt relationes. Si suppositive, tunc sunt tantum tres res. SED NEC illud valet, quia ut patebit distinctione 27, relatio non potest dici alia et alia res, nisi sit in alio et alio fundamento proximo. 2. Etiam illud est contra illam decretalem De summa trinitate et fide catholica, capitulo ‘Damnamus’, ubi expresse negatur omnis realis quaternitas in divinis. 3. Praeterea, res distinctae existentes in divinis ab homine catholico, ut distincte debent adorari, sed nullus catholicus adorat quaternitatem in divinis, ergo etc.

AD TERTIUM dicunt quod non oportet quod spiratio passiva sic praesupponat generationem passivam per modum originis, quod una persona originetur ab alia, sed sufficit quod ambae originentur a tertia. SED NEC HOC valet, quia ex eo, quod ambae sunt ex tertia, non resultat aliqua realis distinctio inter personas productas, nisi ex vi productionis personis productis aliquid communicetur, ratione cuius ab invicem distinguantur, verbi gratia ex eo, quod omnes creaturae sunt ab uno Deo, non distinguerentur creaturae inter se, nisi ex vi creationis distinctae naturae, et principia distinctiva creaturis communicarentur. Sed istis duabus personis communicaretur una natura et duae relationes, ex parte ergo naturae non distinguerentur, quia esset tantum una, nec ex parte relationum, quia in eadem persona essent impossibiles. Non

enim plus repugnat passivum passivo, quam activum activo. Sed activa generatio et activa spiratio non ponerent distinctionem in producente, ergo nec passiva generatio, et passiva spiratio in producto.

AD QUARTUM dicunt, quod non [159] oportet, quod si amor praesupponat verbum, quod propter hoc verbum debeat poni principium amoris effectivum. SED QUAMVIS illa solutio valeret de verbo et amore, quae scilicet verbum et amore absoluta ab invicem distinguuntur, puta prout sunt in nobis, loquendo tamen de verbo et amore, quae sola ratione originis distinguuntur, oportet necessario quod amor sit verbum, praesupponat quod etiam ab ipso procedat, ut ex tali processione innascatur distinctio relativa.

AD QUINTUM respondent quidam alii et negant minorem, quoad ambas suas partes. Ad primam probationem dicunt quod falsum assumitur, quia intellectus sive natura in divinis et voluntas non differunt sola ratione, sed formaliter ex natura rei. Secundo dicunt quod dato quod ita esset, adhuc non sequitur quod filius et Spiritus Sanctus sola ratione different, quia non oportet tantam distinctionem esse in principiis, sicut in principiatis. Duae namque ideae sola ratione differunt in mente divina et tamen duo ideata realiter differunt. Ad probationem secundae partis dicunt eodem modo quod non oportet relationes, quae sunt in principio tantum distinguere illud, in quo sunt, sicut relationes, quae sunt in principiatis et addunt quod non est simile, quia simpliciter est impossibile eandem personam accipere bis esse secundum duas perfectas productiones, sed non est impossibile unam personam producere duas personas secundum duas perfectas productiones et ideo quamvis relationes productorum constituent distinctas personas, non tamen relationes quae sunt in producente. SED PRIMA earum solutio non valet, quia superius distinctione 6. probatum est quod in divinis inter absoluta non est dare distinctionem nisi solam rationis. Nec secunda solutio valet, quia quando aliqua producuntur, quae indistincta sunt naturaliter a producentibus, ac etiam inter se, tunc non potest esse maior distinctio in productis quam in producentibus, sed supposita divina producta sunt eiusdem naturae et inter se et cum producentibus, ergo etc. Propter quod etiam exempla non sunt ad propositum, quia ideata et inter se differunt naturaliter et a suis ideis, et ipsis ideates communicantur principia, quibus formaliter distinguuntur et quibus unum alteri repugnat, quod non fieret in proposito, sicut patet per praedicta. Ad illud quod dicunt contra alterius membri probationem, dico quod bene volo quod in producente non distinguant relationes desperatae. Sed hoc volo quod, si distinguant in suo modo passivo, sicut tu ponis quod tunc necessario distinguant in suo esse, seu modo activo, quia cum actus sit, qui distinguit, impossibile esse videtur quod aliqua secundum suum esse passivum sint magis distinctiva, quam secundum oppositum modum, puta secundum suum modum, quo activa appellantur. Et cum dicis quod sequitur hoc impossibile quod idem produceretur bis duabus productionibus perfectis, dico quod hoc impossibile sequitur ex radice positionis tuae, quod filius non producat Spiritum Sanctum et non sequitur ex dictis meis. Ad sextum et septimum non inveni solutiones quae sint alicuius ponderis, ideo eas non conscripsi.

SED MULTI doctores contrariae opinionis suam partem nituntur multipliciter persuadere. Primo sic. Quaecunque differunt a tertio alia et alia differentia reali, illa sunt distincta inter se; sed dato quod Spiritus Sanctus non procederet a filio, adhuc filius et Spiritus sanctus differrent a patre alia et alia differentia reali, differret enim filius ab eo per filiationem oppositam suae paternitati et Spiritus Sanctus per spirationem passivam oppositam suae spirationi activae. 2. Praeterea, distinctae relationes reales requirunt terminos realiter distinctos, sed paternitas et spiratio activa sunt distinctae relationes, ergo dato quod spiritus sanctus non procedat a filio, adhuc ille duae distinctae relationes in persona patris existentes terminabuntur ad duos terminos realiter distinctos, qui non poterunt esse alii quam filius et Spiritus sanctus, ergo etc. 3.

Praeterea, unumquodque magis et formalius distinguitur ab aliis per illud, quod est sibi magis proprium. Sed nunc in filio tria considero, scilicet essentiam, spirationem activam et filiationem. Essentia autem est communis tribus, spiratio communis duobus, puta sibi et patri, sed filiatio est sibi propria, personalis et incommunicabilis proprietas, ergo filius per suam filiationem distinguitur ab omnibus aliis. Dato ergo quod non procederet Spiritus Sanctus a filio, adhuc distingueretur ab eo, ergo etc. 4. Praeterea, impossibile est quod una persona accipiens unam et eandem naturam duabus processionebus procedat. Nam, etsi filius procedit generatione aeterna et temporali, hoc tamen non est secundum eandem naturam, sed in divinis sunt duae processiones, ergo dato quod Spiritus Sanctus non procedat a filio, adhuc personae procedentes erunt distinctae realiter, ergo etc.. 5. Praeterea, relationes aeternae in divinis non sunt accedentes, nec assistentes, sed subsistentes personae, illud ergo quod sufficit ad hoc, quod sint plures relationes in divinis, hoc sufficit ad distinctionem personarum in divinis, sed diversitas illarum actionum, scilicet generationis et spirationis sufficit ad diversitatem relationum, quia ad illam, quae est generatio sequitur paternitas in producente et filiatio in producto etc. 6. Praeterea, filius per hoc, quod a patre generatur, est persona in divinis, ergo Spiritus Sanctus per hoc, quod a patre spiratur, erit persona distincta circumscripto quocunque alio. Consequentia patet a simili. 7. Praeterea, illud quod in divinis in una persona stat cum uno oppositorum, in alia persona potest stare cum altero oppositorum, nisi ex se habeat ad ipsum naturalem repugnantiam, unde eadem communis notio stans in patre cum paternitate, stat in filio cum filiatione eo quod ad filiationem non habet naturalem repugnantiam. Sed generari in persona filii stat cum spirare et in nulla persona generari potest stare cum spirari, quod est oppositum ipsius spirare, ergo generari et spirari ex se sibi mutuo repugnant et ab invicem distinguuntur et per consequens personam filii et Spiritus Sancti possunt distinguere, dato quod una ab alia non procedat. 8. Praeterea, si Spiritus Sanctus procederet a solo filio et non a patre, adhuc distingueretur a patre, ergo dato quod procedat a solo patre et non a filio, adhuc distingueretur a filio. Consequentia patet a simili. Antecedens probatur, quia si Spiritus Sanctus non differret a patre, tunc ipse esset pater filii, a quo tamen supponitur processisse, quae non solum sunt impossibilia, verum etiam impossibilia. 9. Praeterea, distinctae relationes reales incommunicabiles et impossibiles in eodem supposito sufficiunt ad realem distinctionem personarum. Sed generari et spirari sunt huiusmodi. Quod enim sint distinctae relationes patet, quia una formaliter non includit aliam. Sunt etiam reales, quia constitutivae sunt realium personarum, scilicet filii et Spiritus Sancti. Quod sint incommunicabiles patet, quia omnis personalis proprietas est incommunicabilis, sed ipsae sunt proprietates personales. Sunt etiam in eodem supposito impossibiles, quia impossibile est idem suppositum produci duabus productionibus simpliciter et aequè perfectis. 10. Praeterea, illa (ut dicunt) est intentio Anselmi in De processione Spiritus Sancti, ubi sic ait: Habent utique esse a patre et filius et Spiritus Sanctus, alter nascendo et alter procedendo, ut alii sint per hoc ab invicem. Et subdit: Nam si per aliud non essent diversi, per hoc solum essent diversi. SED ILLA NON concludunt, quia omnis impossibilitas et repugnantia aliquorum oportet quod innascatur ex aliqua oppositione. Sed impossibilitas divinarum personarum non [160] potest innasci ex oppositione contraria aut privativa, quia tales non sunt in divinis, nec ad hoc sufficit oppositio affirmationis et negationis, quia pura negatio non potest suppositum constituere, etiam oppositio illa potest esse inter ea, quae sola ratione differunt. Personae autem divinae realiter differunt, ergo sola relativa oppositio faciet distinctionem divinarum personarum et per consequens ubicunque illa deficit in divinis, ibi necessario deficit personalis distinctio. Et haec est intentio Anselmi in De processione Spiritus Sancti, ubi ait: Omnia in divinis sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio. 2. Praeterea, si in divinis essent aliquae duae distinctae personae, quarum una non esset ab alia, tunc in divinis esset aliqua inordinatio, sive ordinis defectio. Consequens est impossibile, ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet, et apud philosophos, et apud theologos. Probo consequentiam, quia omnis ordo, quem nos possumus

imaginari possibilem in divinis, vel erit ordo perfectionis, vel ordo originis. Sed primus ibi dari non potest, cum omnes tres personae sint aequae perfectae, ergo si est ibi ordo, oportet quod sit ordo originis, qui est huius ab hoc, vel hoc esse ab hoc, et haec est Augustini intentio contra Maximinum, ubi ait quod ordo originis solum est inter personas, quarum una est ex altera, non tamen prior altera. 3. Praeterea, et Anselmus in De processione Spiritus Sancti ait: Supradicta relationis oppositio, quae ex hoc innascitur, quod Deus est de Deo, prohibet patrem et filium et Spiritum Sanctum propria singulorum attribui aliis, quae auctoritas si bene attenditur, manifeste concludit propositum. Illud autem, quod superius fuit adductum pro parte contraria, hoc dixit Anselmus disputative contra adversarium quod patet ex hoc, quod post illa verba concludit oppositum illorum verborum ex intentione propria sic dicens. Itaque filius et Spiritus Sanctus, quo modo sint ab invicem speculemur, intelligamus Spiritum Sanctum esse de filio, quia filius non est de illo, et econverso filium non esse de Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus est de illo. AD PRIMUM ergo argumentum istius opinionis dicendum, quod minor non est vera, quia si Spiritus Sanctus non procederet a filio, Spiritus Sanctus non esset, nec esset aliqua in divinis productio, nisi sola generatio; nec esset dare duas differentias, quibus suppositum patris producens differret a duobus productis. AD QUORUM omnium intelligentiam est notandum quod persona producens in divinis, personae productae communicat omne communicabile, in quo producto non opponitur, nec repugnat. Si enim aliquod communicabile producens producto non communicat, tunc inter duo necessario dabitur unum, scilicet vel quod productio non est simpliciter, et usquequaque perfecta, vel illud tale in producente non habetur, sed manifestum est, quod communis spiratio est communicabilis, cum non sit proprietas personalis patris. Etiam nunc tenemus quod de facto communicata sit filio. Etiam in illa communi spiratione pater non opponitur filio, quia sola paternitate et filiatione opponuntur, etiam si opponeretur pater filio secundum eam, de facto nunc non posset sibi communicare eam, ergo sequitur necessario, si pater filio non communicat commune spirationem, vel quod productio filii non sit simpliciter perfecta, vel quod pater non habeat illam communem spirationem. Cum igitur primum dari non possit, quia tunc filius non esset Deus, quia nulla divina persona potest produci productione imperfecta, ergo dabimus secundum scilicet, quod si filius non recipit a patre communem spirationem, quod tunc pater non habeat eam. Sed planum est, quod si filius non spiraret Spiritum Sanctum, ipse non haberet a patre communem spirationem, ergo de primo ad ultimum, si spiritus sanctus non procederet a filio, Spiritus Sanctus non esset, quia essentia divina in patre non esse coniuncta communi spirationi, sive spirationi activae, et per consequens pater non posset producere Spiritum Sanctum. Quibus bene intellectis plane patet, quod tunc etiam in divinis non esset aliqua productio, nisi sola generatio et quod non esset dare duas reales differentias, quibus duo producta realiter differrent ab uno producente. Est etiam in illa minori petitio principii, quia praesupponit illa producta esse plura, et per consequens cum omnis pluralitas innascatur ex distinctione, praesupponit ea esse distincta, hoc autem est quod hic quaeritur, puta si filius non produceret Spiritum Sanctum, utrum tunc duo producta supposita possint esse in divinis ab invicem vere distincta? Ergo non valet.

Ad secundum patet per iam dicta, quia posito quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, tunc non essent in Patre tales distinctae relationes. Dato etiam quod essent adhuc non haberent distinctos terminos, quia non maiorem distinctionem requirunt duae relationes passivae in suis immediatis fundamentis, quam duae relationes activae directae oppositae illis passivis. Ad tertium dicendum quod maior non est vera de relativis relative sumptis, quamvis vera sit de absolutis. Absolutum enim per unam naturam suam absolutam differt a quocunque ad quod poterit comparari. Sed relativum ut relativum, cum suum esse, ut sic consistat in respectu ad alterum, nisi per unam relationem referatur ad plura non potest per unam relationem differre a pluribus, et ideo quamvis in eodem relativo sint plures relationes, quarum una convenit sibi magis proprie et alia minus proprie, illud tamen relativum per illam, quae sibi minus proprie

convenit, distinguitur a sibi opposito secundum illam relationem et non secundum eam, quae magis proprie sibi convenit, quia ut relativum est, tunc per illam communem relationem refertur ad illud et non per propriam. Ad quartum concede maiorem, quod scilicet impossibile sit unam personam accipientem unam naturam procedere duabus perfectis processionibus, sed haec impossibilitas non sequitur ex posito meo, sed ex tuo, ut superius dixi. Etiam supponitur falsum, quia si filius non produceret Spiritum Sanctum, tunc non essent plures processiones in divinis, prout declaravi in solutione primi argumenti. Ad quintum dicendum ad minorem, quod si filius non produceret Spiritum Sanctum, tunc non esset diversitas actionum in divinis. Et dato quod esset, sicut non arguerent ex parte producentis pluralitatem suppositorum in divinis, sic nec ex parte producti. Ad sextum dicendum quod in consequenti supponitur falsum, puta quod pater spiret Spiritum Sanctum, dato quod Spiritus Sanctus a filio non procederet, quod ego constanter nego, quia dico quod hoc posito pater nec spiraret, nec spirare posset, quia spirativam virtutem cum respectu activae spirationis non haberet. Ad septimum dicendum, quod generare et spirari non possunt pro nunc reperiri in una persona, non propter aliquam naturalem, vel formalem repugnantiam, quae sit inter ea, sed propter hoc, quod incommunicabiles et personales proprietates sunt duarum personarum in divinis. Ad formam ergo argumenti dico quod maior est insufficiens, quia debet addi ad finem maioris, vel nisi ipsum et oppositum illius cum quo se compatitur sint personales, et per consequens incommunicabiles proprietates. Si autem hic ordo, quem nunc credimus esse in divinis, ex tua suppositione mutaretur, puta quod Spiritus sanctus a filio non procederet, tunc dico quod ipsum spirari nihil esset, eo quod pater nihil spiraret. Ad octavum dicendum quod in consequente non solum assumitur impossibile, sed impossibile, quia cum filius omne posse et agere habeat a patre, dicere quod filius ad intra vel ad extra aliquid producat, quod pater non producit est planissima contradictio, quia est dicere filium non esse filium. Concessis tamen his, adhuc dico quod non est simile de illo consequente ad illud antecedens [161] quia si solus filius produceret Spiritum Sanctum, tunc Spiritus Sanctus et pater se haberent sicut productum et improductum, et ideo necessario differrent. Sed si solus pater, tunc Spiritus Sanctus et filius ambo essent producti a patre. Si ergo vis quod similitudo currat, tunc addas impossibile impossibili, et supponas quod filius producat patrem et Spiritum Sanctum, tunc dicerem tibi connexe ad praecedentia, quod pater et Spiritus Sanctus non essent nisi una persona producta, quia hoc dato, sicut tunc in filio compaterentur se duae relationes activae, sic in illo uno producto se compaterentur duae relationes passivae. Ad nonum dicendum quod minor est falsa, quia supponit ipsum spirari esse, dato quod Spiritus Sanctus non procederet a filio, quia, ut probavi, spirare non maneret ex parte patris. Sed uno relativorum non manente, non manet reliquum. Omnes etiam probationes eius deficiunt. Prima, quia non sequitur A. non includit B. formaliter, ergo est distinctum ab eo, loquendo de distinctione reali, de qua in praesenti loqueris. Paternitas enim divina non includit divinam essentiam formaliter et tamen non differt ab ea realiter, et eodem modo de sapientia divina respectu bonitatis. In aliis vero duabus probationibus petitur quod est in principio. Ad decimum patet per iam dicta. AD ARGUMENTUM etiam principale patet. Posset etiam dici, quod licet spirare non sit de ratione filii, ut filius est, est tamen de ratione filii, ut a Spiritu Sancto distinctus est relative, sicut licet albedo non sit de ratione Socratis, ut Socratis est, est tamen de ratione eius, ut a Platone nigro distinctus est.